

sto; die Veneris apud S. Vodolricum; die Sabbati Utinum, ubi stetit XIII. diebus; die autem Veneris XVII. intrante Augusto venit Civitatem. Die tunc Sabbati crastino compromisit cum D. Alberto Comite Goritiæ, Patriarcha in Nepotem suum Potestatem Paduanorum, & Comes in Dominum,....., & communiter in D. Girardum filium D. Biaqui de Camino, de omnibus quæstionibus, quæ erant inter eos; ita quod infra X. dies sententiare deberent, vel communiter, vel major pars ipsorum Arbitrorum: & sic Patriarcha, & Comes per se, & amicis eorum facti sunt amici. Et interim sic procuratum fuit, quod partes dimiserunt Arbitros absolutos. Et Comes præcise exposuit se, & juravit stare præceptis Domini Patriarchæ, & tractare per dictos Arbitros & alios de compositione, & concordia, & pace inter Patriarcham, & Comitem. Dicto Patriarcha petente Cormons Comiti, qui erat in Camera Patriarchali in Civitate super his; & præcipiente, quod sibi daret Cormons; Comes quasi ad habendum consilium, latenter exivit; & sine licentia occulte cum paucis exiens Civitatem, recessit: & facti sunt inimici ut prius, non obstante juramento, & quibusdam securitatibus super hoc præstitis.

Mutatio Monetae.

Anno Domini M. CC. LXXIV. die Lunæ V. exeunte Novembri, incepit currere nova Moneta, mutata per Ven. Patrem D. Raymundum Patriarcham Aquilegiensem,

De compositione Domini Patriarchæ Raymundi cum Comite, & Justinopolitanis.

Item facta fuit compositio sub certis Articulis & pactis inter D. Raymundum Patriarcham Aquilegiensem ex parte una, & Nobilem Virum D. Albertum Comitem Goritiæ, & Justinopolitanos, & eorum fautores ex altera, anno Domini M. CC. LXXV. die IV. exeunte Februario in Civitate Austria in Palatio Patriarchali,

De inundatione aquarum Natissæ.

Anno Domini M. CC. LXXVI. die XI. intrante Septembri fuit Natissa ita magnus, quod fuit extra ripam usque ad murum Cimiterii S. Petri: & etiam ascendit per ipsum murum, & destruxit plures domos ab interiori via versus Natissam existentes; deferendo quidquid invenit. Destruxit omnia Molendina, & portam & murum Pusternulae factum in defensionem Civitatis. Ad pontem ascendit usque ad supremum gradum; & tamen de summitate majoris saxi pedis pontis Civitatis remansit aliquantulum, quod aqua non transcendent.

De Cariftia.

Anno Domini M. CC. LXXVI. in Novembri vendebatur f. f. XXX, denariis, & etiam plus: Milium XXII. De Surcum (a) XIV. & etiam XVI. denariis. Item die Sabbati penultima Januarii vendebatur frumentum XXXVI, denariis; & tantum filigo, & plus Surcum; XXIV. & XXVII. Surcum XXVIII. denariis. Item ascensit f. ad L. denarios, mil. ad XL. Surcum etiam ad XXXVII. & plus. In principio Martii, die Sabbati sexto intrante Martio finaliter positum fuit frumentum pro XL. denariis, & filigo & faba pro XXXVI. milium pro XXVIII. Surcum pro XXIV. denariis, in manu solvendo,

(a) genus frugis.

De Mansionariis Civitatis pro animabus Mansionariorum.

M. CC. LXXVII. die Veneris ante *Invocavit*, scilicet XII. intrante Februario, in Capitulo Civitatis Canonicis cum Decano generaliter congregatis, communiter & generaliter per eos indulsum, & constitutum fuit: quod ex tunc Præbenda cuiuslibet Mansionarii primo anno post illius decessum pro anima ipsius cederet Capitulo Civitatis, ad emendam proprietatem pro anima ejus, praesertibus in ejus Anniversario more solito.

De mutatione Monetae.

M. CC. LXXVII. Indictione V. die VII. intrante Martio mutata est Moneta, quæ habebat Patriarchæ imaginem interius, & turrim exterius, quæ valuerat XIV. Veronenses, in Monetam valentem seu positam XVI. Veronenses, habentem interius imaginem S. Mariæ cum filio, & exterius Aquilegia. Item eodem anno die septimo intrante Aprili fuit proclamatum ex parte Patriarchæ, quod ex tunc daretur tantum pro XIV. Veronensis, & illa nova, quæ tunc currebat, differens a priori in duabus Crucibus parvulis interius & exterius.

De parte fontis apud Solarium.

Anno Domini M. CC. LXXVII. die septimo intrante Aprili incepit fodere, & construere fontem apud Domum Communis primo.

De Castro ædificato per Venetos apud Marzillanam in aqua marina.

Anno Domini M. CC. LXXXIV. Indictione XII. die tertio, vel quarto exeunte Junio, venerunt Veneti primo ad ædificandum unum Castrum apud Dium juxta Marzillanam, & S. Johannem in mari, longe a terra plus jaætu machinæ, vel ballistæ.

De morte Rubei Soneschalchi Domini Patriarchæ.

Die Sabbati VI. intrante Octobri interfecitus fuit Soneschalchus Rev. Patris D. Raymundi Patriarchæ Aquileiensis per Reynardum, Varnerum filios D. Francisci Orzono, & Jacobum, & forte alios Civitatenenses. Quare dirutæ fuerunt domus dicti Jacobi, filii Merquanducciæ de ultra pontem: & locus, sive Terra Civitatensis per dictum Patriarcham fuit supposita Ecclesiastico Interdicto die Iovis XIX. Octobris usque ad ultimum diem ejusdem Mensis; quod suspendit ab hora tertia usque ad benplacitum suum. Eo quod Dominus Patriarcha dicebat, eum fuisse Clericum, & Vicarium non plebanum; & propter hoc Terram, ubi interfecitus fuit, esse debere suppositam Ecclesiastico Interdicto secundum cuiusdam suæ Constitutionis tenorem, editæ Aquilegiæ in sua Synodo Generali,

De ingressu Prædicatorum ad habitandum in Utino.

Anno Domini M. CC. LXXXV. Indictione XIII. die ultimo exeunte Majo, ingressi sunt primo in Utinum Fratres Prædicatores ad habitandum ibidem: & primo celebraverunt publice in eorum loco Missam,

Lapis autem primus Ecclesiæ ædificandæ impositus fuit ultimo die Maji.

De Salesatura viarum Civitatis.

Anno Domini M. CC. LXXXV. die Lunæ XIII. intrante Augusto, incepit Commune Civitatense facere salesari, sive facere aptari vias Civitatis, incipiendo a porta Pontis cum dacio Civitatis.

De